



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennytte forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaeigt.dk>

De
basi et fundamento
dogmatum christianorum in scholis ad maturiorem
juventutis institutionem procurandam conditis
justa ratione tradendorum —

Rerum scholasticarum fautores,

ut

E x a m e n p u b l i c u m

i n

Schola Slaglosiana

mense Septembri MDCCCXXVI instituendum
freqenter præsentes solennius reddant,
officiosissime invitaturus —

pauca disseruit

J. C. Qvistgaard,

Rector Scholæ.

Slaglosiæ MDCCCXXVI.

Typis excudebat Petrus Magnus.

I n t r o d u c t i o.

Cum quisque , cui res aliquaque imprimis curæ cordique est , in eadem re consideranda et tractanda potissimum studium conferre soleat , neminem facile offendet , si dissertatio ad solennitatem scholasticam indicandam composita in una aliave rerum et disciplinarum scholasticarum discussienda tota versetur et absolvatur . Hinc L. Bt in hoc opusculo disquisitionem doctam et multorum auctorum nominibus fultam ornatamque frustra quæres , sed rem ad quotidianam in junioribus edocendis oeconomiam et usum strictè et plane pertinentem , paucis verbis pro angu-

sta temporis opportunitate invenies. Inter multa tam levioris quam gravioris momenti, quæ de justa juventutis scholasticæ instituendæ methodo ac ratione sive in genere sive in specie disseri possunt, unum, ut videtur, haud infimum locum tenet, id nempe, quo modo dogmata positiva sic dicta S. S. religionis christianæ junioribus sint tradenda, ut sensum pium excitent et fidem salutiferam confirment. Hæc materia cuique et sui et posterioris ævi hominum commodum spectanti, ei autem præcipue, cui munus res ad religionem pertinentes tradendi et explicandi injunctum est, ultiro se offerit consideranda, idque nostro imprimis tempore, quo character juventutis et ingenium longe aliter ac tempore sæculi proxime antecedentis formatum est et constitutum. Antecedentis nimirum ævi pueri et juvenes severo quodam parentum atque præceptorum dominio ita plerumque tenebantur, ut absoluta parenti vel præceptori fide habita, partim omne proprium in res inquirendi studium supervacuum haberent, partim quæ cogitarent atque sentirent aut omnino non,

aut summa saltem modestia coram aliis prode-rent, contra autem idearum moderationes a pa-rentibus vel præceptoribus datas aut bona fide admitterent, aut saltem sine ratiocinatione no-lentes volentes reciperent; qvo factum est, tūc sententia majorum et arbitrium supra-ma cogi-tandi, statuendi, credendi lex factum sit. Nunc vero, postquam liberior juniorum educandorum ratio aliquamdiu invaluit, unde libertas inter-dum procærior, loquacior saltem quam considera-tior, puerulis imbuta est, sola aliena auctoritate, sit parentis, sit præceptoris, juvenes ad statuen-dum et credendum se adduei vix patiuntur. Qvæ cum ita sint, præceptoris erit omnia, qvæ ad conformatiōnē rationis mentisqve juventutis spectant, ita cognita habere, ita tradere posse atque exponere, ut juvenes, spontanea, ut cre-dunt, ratiocinandi et considerandi facultate prædicti, præceptore, quasi aliud agente, duce, methodo quodammodo socratica eo ducantur, ut qvid verum rectumqve sit per se eruere atque perspicere opinentur. Qvo fit, ut, errore, qvi in ratiocinatione puerorum juvenumqve non esse

non potest, doctoris moderamine leniter et facile inhibito, sensu autem veri et recti, quantum fieri potest, proprio juniorum studio et attentione, non aliena sola auctoritatate niso, quod sentiat juvenis atque credat, id tanquam per se demum sentiat atque credat, quo mens ejus et animus perniciosa illam fluctuationem, quae is, qui nec ipse ad cogitandum conductus et instructus est, nec in alias cujusquam magistri auctoritatem et verba jurare facile sustinet, huc et illuc, calami instar, impellitur, evitat.

Fidem religiosam etiam ratione niti, et cum ea, quantum ratio progredi possit, consentire semper quidem necesse est; nam si consideratione articulorum fidei omnino omissa et neglecta, in cæca et sola mentis affectione, quæ interdum fidei nomine ornatur, hæseris, cum omnia, quæ huic fidei objiciantur et obstent, impia et e regno Satanæ oriunda censebis, quo acerbus in animo adversus aliter sentientes aculeus prominet, tum ipsa hæc fides fundamento idoneo magna ex parte destituta, temporis progressu et rerum vicissitudinibus in

dubium transire solet, ex qvo nemo utique sine
 magno animi labore et mentis anxietate se ex-
 pediet. Nostro vero imprimis tempore, qvo inter
 ipsos religionis dogmaticæ peritos et sacrorum
 anitstites sunt, qvi in longe diversas abeant par-
 tes, magnoque ardore de natura et indole fidei sa-
 lutaris certent pugnantque; cum controversiæ non
 solum publice, sed etiam in ephemericibus et
 opusculis lingua vernacula conceptis agantur,
 qvo etiam vulgo innotescit, et de sacris ambigi-
 posse, et sacrorum moderatores et curatores ve-
 tus illud Christi et Apostolorum præceptum:
 ἀγαπατε ἄλλελος! non stricte servare: eo
 inqvam tempore præceptores juventutis schola-
 sticæ fallere non potest magna illa et incum-
 bens necessitas, juniores ad cogitandum et in-
 telligendum qvodanmodo aptos atqve instruc-
 tos sacrosanctæ religionis doctrina ita imbuendi
 ut omnia, qvæ articulis fidei objici soleant, om-
 niaqve, qvibus illa objecta refelli possint, di-
 scant, videant, perspiciant; qvod nisi fiat, si
 nimirum oppositiones, qvæ in dogmata sacra
 fieri possint, tirones caute celaverit præceptor,

si ei satis fuerit, nuda articulorum fidei et dogmatum verba a discipulis posse recitari, nulla de ortu, forma, nexu eorum instituta disceptatione et inquisitione, quomodo fieri poterit, quin juvenis, tali tantummodo scientia religiosa et fide instructus, cum in mundum publicum progressus talia argumenta ad dogmata religiosa refellenda, quorum, praceptor auspice, ne tantillum quidem praesenserit, iterum iterumque audiat, litterisque mandata legat, aut dogmata illa parum firma esse suspicetur, quarum sententias contrarias praceptor cum ipso communicare tanquam non ausus sit, aut novitate argumentorum inauditorum percussus, propter inopiam defensionis, rem, quae defendi posset atque deberet, defensione carere patiatur, quo fides ejus et tranquillitas mentis non potest non graviter concuti, nisi spirituali ista vanitate plenus omnia, quae ratio amplectitur, inertis sua et tenebrisca mentis affectione securus atque beatus, contemnat. Huc accedit, quod quae adversus litteralem, ut ita dicamus, fidem verborum et dogmatum sacri codicis exhibentur for-

mam ad risum et jucunditatem movendam idoneam haud raro induunt, qvo auctores acuminis ingenii laudem sibi comparant, et sæpius loquacitate luxuriosa quam ratione sana et sobria rem tractantes silentium imponunt et dubium movent illis, qvibus illud certandi genus severa consideratione non antea innotuerit.

Ex his allatis, si per se falsa non sint, concludere licebit, præceptorem religionis discipulis ad rationem et considerationem adhibendam qvodammodo maturis singulas doctrinas atque dogmata ab omnibus, qvatenus fieri potest, partibus ante oculos sistere debere, ne somnient discipuli, qvæ in manualibus suis legerint, eis nihil omnino posse opponi, nec putent eum, qvi de uno aliove articulo dubius hæreat, se esse fide et virtute inferiorem, ne denique superstитioso et fanatico errore inducti, nimium meritis systematis cujusquam verbis imputantes auctoritatis, puro, ut putant, Christianismo aliter cogitantes et sentientes temere condemnent.

Eiusmodi in scolis doctioribus, sic dictis, religionem tradendi et docendi methodus per se quidem in universo utilis esse videtur et salutaris, imprimis vero si eos respicies, qvi, curriculo in scolis absoluto, theologiæ studio se non sunt daturi. Theologorum nimirum juniorum hac in re cuarm egregie gerunt doctores academicj; ceteris autem cum aliis studiis sese dederint, minus opportuna datur occasio res religiosas et dogmaticas tractandi, scientiamqve earum, qvam in scolis sibi comparaverunt, ulterius collendi et perficiendi: et tamen nec iis supervacuum est certum sibi religionis, qvam colunt et profitentur, formare aut formasse sistema, utpote qvi aut jurisprudentes, legum interpretes et executores, aut medici, animorum interdum non minus qvam corporum ægrotantium curatores, aut omnino patresfamilias cuiuscunqve demum conditionis sunt futuri.

Finis hujus dissertationis et consilium nec est nec esse potest exacta omnium dogmatum christianorum expositio, opus a re nostra et conditione alienum; neqve alios, qvi juventuti scho-

lasticæ veritates divinas tradunt et explicant, docere sive monere fert animus. Quid ergo? Certos quosdam tantummodo locos communes, tanquam fundamenta doctrinæ dogmaticæ in scholis tradendæ et explicandæ statuere voluimus; et si quæ exposuimus, nostram de sacris his rebus tractandis opinionem testantia, aliiq eodem amore res saerosanctæ religionis amplectentibus haud omnino displicerint, aut si nos ipsos ab aliis amice sentientibus rectius monitos effecerint, operam, pro temporis ratione exiguam, non perdidimus.

I.

De revelatione in genere et notis ejus præcipuis.

1.

Religio qvævis positiva sic dicta fundamento tanquam nititur doctrina, cuius origo non ab ipso humano ingenio et studio, sed aliunde, et qvidem ab auctore et fonte homine majore, derivanda est. Dogmata itaqve religionis positivæ, si originem spectes, longe diverso a placitis philosophorum sunt genere, qvæ tempore progre- diente, litterarum artiumqve incremento, acu mine ipsius humani ingenii nata sunt et formata. Qvamvis enim philosophiævi antiquioris et recen- tioris grandia invenerunt et subtilia exposuerunt,

nec grandiora tamen, quam quæ animo vere humano percipi, nec subtiliora, quam quæ acuminè vere humano perspici possent et discuti, produxerunt, nisi forte sermo ipse, quo usi sunt, cogitatis, quæ sermone essent exprimenda, fuerit obscurior. Si, contra, doctrina quædam sermone e quotidiano parum diverso, gravitate saltem non subtilitate insigni, majora exposuerit, quam quæ ingenium humanum, si certi cuiusdam ævi limites spectemus, per se capere et fingere posse videatur, majoris auctoris opus in tali doctrina producta et promulgata non possumus non videre atque agnoscere.

Quæri quidem poterit, cur quæ hominis captu sint majora homini tradantur; sed huic quæstioni, ut videtur, hæc responsio satisfaciens: Homo majorem in finem, quam quem ipse, dum in mundo terrestri versatur, perspicue cognoscit, natus est. Ne igitur summum hunc finem ab oculo plane dimitat, nec hujus mundi incola adeo evadat, ut nullam futuri curam gerat, ad salutem ejus et perfectiorem se formandi et præparandi rationem utique pertinet, sensus altiores in animo ejus excitari et sacro quodam timore foveri. Ad hominis commodum magni omnino refert, summum rerum humanarum

moderatorem homini se homine majorem exhibere atque ostendere.

2.

Ne autem ad doctrinam quendam revelationem divinam habendam temere inducamur, spectanda sunt indicia, quibus innotescere potest an haec vel illa doctrina digna sit, quae divinitus revelata censeatur. Nam si revelatio sit effectus causarum ultra ordinem rerum naturalium ex parte existentium, necesse est ut statuamus, Deum ultra illum ordinem temere non agere, nec tales effectus, quos miracula vocare solemus, frustra edere; sed si tales effectus, causa idonea existente re vera exhibeantur, e notione Dei perfectissimi statuendum est, eos omni ratione omnique ex parte ad finem summum consequendum aptissimos Deoque auctore dignissimos esse debere. His praemissis, quibus praecipue indiciis revelatio providentia divina instituta probari possit et debeat, facile appareat; quae quidem his fere capitibus concipi et absolvvi posse videntur.

a) Doctrina revelata sit necessaria, eaque necessitas perspicua.

- b) Effectus simplex cultus animi illius gentis, in qua orta sit, haberi nequeat.
- c) Hominum per eam tam initio quam tempore procedente instruendorum captui sit accomodata.
- d) Homines in rebus ad Deum et finem, in quem homo sit, pertinentibus, sed ultra limites rationis humanæ his in terris quodammodo positis, placide conducat.

3.

Quod ad primum horum indiciorum nuper allatorum attinet, multis verbis demonstrare non opus est, doctrinam effectibus ultra rerum naturæ ordinem productam necessariam esse debere, si opus singulare summæ potentiae et sapientiae divinæ habenda sit; notio enim summæ sapientiae singularia talia et miranda opera divina, nisi summa accedat necessitas et nodus vindice dignus, non admittit. Si vero summum Dei creatoris consilium homo per se capere non potest et consequi; si sapientissimus creator hominis et rerum humanarum moderator facultatem intelligendi certis et quidem angustioribus limitibus circumscriptum homini dedit, id imprimis spectans,

ne homo conditionem suam terrenam ex omni parte superaret, contra vero se tam corpore quam præsertim animo e Deo pendere modeste sentiret et intelligeret: quid miremur, si rebus extraordinariis in facto positis Deus se legibus naturæ superiorem hominum ad majora, quam quæ sensus amplectantur aut ratio ipsa capiat, evehendorum curam gerere ostenderit?

4.

Summa præterea necessitate opera hæc providentiæ divinæ extraordinaria fuisse provocata, non solum errores, quibus homines sapientissimi in rerum origine exponenda et in natura Dei et fine, in quem homo sit, explicando irretiti fuerunt, nos docere videntur; sed etiam historia sacra teste invenimus tam originem, quam singulas progressus doctrinæ biblicæ, quam revelationem vocamus, ita nesessarios fuisse, ut nisi facta essent opera hæc providentiæ divinæ eximia, gens humana procul dubio indies in pejus degenerasset, et a fine sibi constituto et destinato longius indies aberrasset. Ita Abrahami, conditoris religionis Judæorum vocatio ut exularet, vocatio Mosis, qui religionem jam conditam,

sed qvodammodo abolitam restituentis et in systema redigentis, Prophetarum identidem oratorum ardor et zelus religionis per Mosen restitutæ servandæ et tuendæ — hæc omnia divinitus provisa et instituta per totum populi Iudaici ævum usqve ad exilium babylonicum non solum salutaria sed etiam necessaria fuere. Ab exilio inde babylonico per secula qvinque tale fuit inter gentes commercium, talis rerum politicarum et religiosarum motus, ut res sacræ tam Iudaicorum quam Ethnicorum valde concussæ et turbatæ reformatio ne summopere egerent. Tum providentia Dei æterna ortus est Christus, veritatum religiosarum restaurator fideiqve religiosæ cardo, ejusqve ortum, ejusqve hoc in mundo opus, vim illam divinam, qva instructi ipse et Apostoli ejus docuerunt, egerunt, homines omnium gentium in unam gregem compellere studuerunt, et magna ex parte verē compulerunt, hæc omnia, inquam, divina lópe exhibita, non solum salutifera, sed necessaria, Deoqve maximo dignissima fuisse, qvis non perspiciet?

5.

Ad secundum revelationis indicium resipienti patebit, doctrinam, cultioris cuiusdam

gentis aut hominis singuli ingenio et studio ortam, inventam et productam, revelationem divinam esse non posse; nisi enim ita statuamus, omnia nova in orbe scientiarum inventa, omnes in jam inventis progressus et amplificationes totidem revelationes divinæ forent, id qvod notioni revelationis sensu proprio sic dictæ repugnat. Ergo considerandum est, an doctrina Biblica etiam hac ex parte spectata indicium altioris originis præ se ferat; et in id qvoqve inquirenti historia duce utendum est. Si conditionem scientiarum et artium apud Judæos, totiusqve illius populi ingenium in genere spectemus, inventimus eos in artibus et scientiis haud multum versatos fuisse. Initio nomadibus, deinde servis in Ægypto, postea incolis terræ promissæ, rusticis imprimis et bellicis negotiis occupatis, idolatriæ inertи haud parum deditis, legibus insuper et moribus a consuetudine aliarum gentium separatis, parum certe stimuli, parum occasio-
nis, ingenii studiis et artibus colendi fuit, unde non mirum est, alias gentes litteris et artibus eos longe superavisse; qvod si ætate civitatis novissima, inter exilium babylonicum et excidium urbis, ita fuit, vix est qvod opinemur priores Judæos fuisse cultiores: et tamen non sine ad-

miratione eos jam remotis temporibus rectius de Deo et purius de virtute in universo statuisse quam gentes longe recentioris temporis ipsisque longe cultiores, Græcos puta et Romanos, quorum Dei jam a prima theologiae eorum origine auctores omnium vitiorum possunt citari. Verum hoc, ni fallimur, et non minus mirum quam verum, mirum utique ulla alia ratione vix explicandum, quam si statuamus, quod e vera scientiarum et artium in ea gente conditione erui et derivari non possit, id singulari Numinis Abrahamum vocantis, Mosen per varios casus instruentis, Prophetes inflammantis ope divina esse effectum; et quod, rebus ita consideratis, de revelatione Veteris Testamenti valet, id de revelatione Novi Testamenti per Christum et Apostolos ejus tradita ampliore ambitu et sensu valere, non est quod copiose demonstretur.

6.

Frustra autem postulamus, revelationem, sive doctrinam religionis speciali providentia divina ortam, adeo puram, exactam et perfecte definitam esse, ut formulæ ejus loquendi, si ad

litteras eas interpretemur, omni ex parte et in
 qvovis suo nexu cum exultiore humana ratione
 omnino consentiant atqve conspirent, Id enim
 postulare idcm foret, ac si qvis contenderet, pri-
 mam, qvæ pueritiæ tradatur institutionem, perinde
 esse debere perfectam et numeris omnibus abso-
 lutam, qvam qvæ adultiori ætati et maturiori
 ingenio sit tradenda. Ne Deus sapientissi-
 mus per miracula voluntatem suam hominibus
 iterum iterumqve patefaceret, id qvod legi
 minimi et parsimoniæ, qvam in orbe tum
 $\gamma\omega\mu\epsilon\omega\nu$ cum $\Phi\alpha\iota\omega\mu\epsilon\omega\nu$ sapientia divina in
 æternum colenda servat, repugnaret, revelatio
 divina in origine sua talis esse debebat, qvæ
 summa qvidem capita $\gamma\omega\sigma\epsilon\omega\varsigma$ et præcipua fun-
 damenta $\pi\iota\varsigma\epsilon\omega\varsigma$ exhiberet, cæterum autem tali
 specie et forma induita ut ingenium eorum et
 noscendi facultatem, qvibus edocendis ab initio
 data sit, non superaret; qvod ni ita factum
 esset, revelatam de cœlestis numinis voluntate
 doctrinam nec capere potuissent, nec captiæ
 intellectamqve servare et ad posteros propagare;
 qvo porro factum esset, ut vis singularis pro-
 videntiæ divinæ in doctrina promulganda aut
 omnino perdita aut certis qvibusdam temporibus
 et occasionibus in perpetuum iteranda fuisset.

7.

¶ Ut quartum revelationis divinæ indicium allatum paucis attingamus, hæc imprimis sunt spectanda: si ratio homini data per se suffecisset ad omnia, qvæ de animi humani origine et fine scitu digna sint et nesessaria, capienda et illustranda, revelatione opus non fuisset. Si porro revelatio nihil complecteretur, nisi qvod ratio ipsa indagare posset et perspicere, supervacua foret et inutilis; et si qvid contineret, qvod sanæ rationi esset contrarium, a Deo rationis auctore et conditore orta esse non posset: summa enim sapientia priora non ita parat, ut posteriora, qvibus priora omnino aboleantur, sit paratur. Ex his sententiis, de qvarum veritate disceptari vix potest, qvæ sit relatio inter rationem homini datam, ut prius divinæ sapientiæ opus, et revelationem, ut posterius, patet. Nisi enim oculus sit, usus lucis nullus est, et nisi sit lux, acies oculi tenebris utique obtunditur. Ut itaqve sol cuncta illustrando oculorum usum et pretium probat, et quo clarius, oculis non offensis, splendet, eo longius prospicit homo, et facilius, qvæ luce exploranda sunt, perlustrat et dirimat; sic revelatio rationis aciem acuere, non obtundere, debet

eiqve ita ferre opem, ut qvæ per se aut omnino non, aut tenebris saltem et umbris confusa videret, clarius, certius, placidaqve in luce, quantum pro spatio, qvo res spectandæ distant, fieri potest, videat et perspiciat. Si revelationem, qva gaudemus, hoc etiam modulo et pede metiamur, apparebit, eam hac qvoqve ex parte egregie sibi constare et se Deo auctore dignam probare.

II.

De nexu inter Vetus et Novum Testamentum.

8.



Quanvis fons veritates ad religionem pertinentes cognoscendi Christianis proprius et præcipuus est Novum Testamentum, Veteris tamen Fœderis doctrina diversas ob causas haud inferioris honoris habenda est, utpote cum ab eodem Deo auctore, eademqve divina providentia et sapientia orta sit, id qvod ipse Christus restatur et Apostoli ejus declarant. Sed cuin Veteri Testamento parem cum Novo divinam tribuamus originem, inde non sequitur, omnia atqve singula in volumine V. T. obuia, qvæ

ad res historicas, civiles, domesticas etc. respi-
ciunt, pro divinitus inspiratis esse habenda; id
tantum contendi potest, doctrinam V. T. de
uno summo et vero Deo, de recta morum con-
formatione, de perpetuo Numinis in mundo
tam morali quam physico regendo moderamine
fundamentum solidum et necessarium fuisse perfec-
tioris illius doctrinæ, quæ in Novo Testamento
exstat. Per indolem igitur et characterem ve-
tustioris de Deo doctrinæ præparati sunt homi-
num animi ad recentiorem et præstantiorem ca-
piendam, et sic per imperfectiora, Deo instituente
et gubernante, perfectioribus strata est via.
Multæ proinde et quidem interdum præcipuæ
N. T. formulæ loquendi originem longe vetu-
stiorem sapiunt, et faciem V. T. aperte præ se
ferunt. Hoc quantopere ad fundamentales
nonnullas N. T. loquendi formulas rite intelli-
gendas et explicandas valeat atque conducat,
nemo non perspicit.

9.

Alius deinde inter Vetus et Novum Te-
stamentum nexus intercedit, ille nimirum, qui
vaticiniis de Messia Deo promittente Judæis
venturo nititur. Quamvis enim per multa

Christianismi sæcula in talibus vaticiniis eruendis et celebrandis nimii fuere sacri codicis interpres; et qvamvis vero simillimum est, nullum V. T vaticinium de ipso Jesu Nazareno, rerum sacrarum restauratore et emendatore mente et opinione Prophetarum ipsorum egisse aut agere potuisse, mira tamen fuit relatio inter opiniones, qyæ ex genere vaticinia interpretandi, pro temporum ratione et statu rerum politicarum variato, sub tempus adventus Christi apud Judeos extiterunt et modum, qvo Christus in mundum prodidit, munusqve sibi a Deo patre delatum gessit. Unde mirari non possumus, tam Judeos sermonibus et miraculis ejus sæpius commotos exclamasse: „Hic certe est prophetes ille venturus!„ qvam Christum ipsum veteris testamenti vaticinia in se retulisse.

10.

Præterea, ad nexum inter Vetus et Novum Testamentum exponendum reqviritur, ut ratio habeatur miraculorum, qvorum in novi fœderis codice sæpius fit mentio. — Qvanqvam enim non possumus non concedere, notionem miraculorum in genere esse vagam et incertam, cum

qvo rudius et incultius sit humanum ingenium,
 eo propensius ad miracula ubicunq; obvia vi-
 denda et credenda se exhibeat; historica tamen
 paginarum sacrarum fide non læsa, negari ne-
 qvit, talia opera interdum esse edita, talesq;
 eventus diversis occasionibus fuisse conspicuos,
 qvi non solum suo tempore et hominibus forsi-
 tan rudioribus spectantibus, sed omni omnino
 tempore et homine efformatoris ingenii cultus
 judice, ut qvi e rerum naturalium ordine et
 nexu derivari neq;veant, admirationem moveant.
 Similis igitur et sibi constans in utroq; fædere
 obvia est divinæ providentiae curandi et agendi
 ratio, qva, cum rationali et naturali modo finis
 moralis, qvem statuerat gubernator perspici et
 contingi neqviret, mira adhibuit, qvibus rerum
 naturalium ordinem solvi et conturbari non est
 qvod opinemur; nam ultra ordinem rerum na-
 turalium agere non perinde est ac adversus eun-
 dem agere; et cum miracula nostro tempore ne-
 cessaria non sint, nec ideo a Deo sapienti am-
 plius exspectanda, inde non seqvitur ita et olim
 fuisse: qvare jure, ut videtur, statui potest,
 miracula, aperta Dei omnipotentis providentiae
 indicia non ad vanam admirationem movendam,
 sed ad certa et maxime salutifera consilia obti-

nenda et perficienda olim evenisse; et si Deus sapientissimus tales eventus necessarios judicaverit, qvis est homo, ut, qvod suam rationem supereret, id quoque divinam potentiam superare contendat?

11.

Ad pretium vero et vim propriam miraculorum sobrie constituendam, hoc loco silentio præterundum non videtur, Christum ipsum miracula per se spectata non probavisse, nec mira temere edidisse, sed e contrario *anisias* inprobasse, qva ad miracula patranda sæpius sit impulsus et tanquam coactus. Unde patet, cum homines ad maturiorem intelligendi conditionem pervenerint, miracula futura nec esse exspectanda nec in iis, qvæ olim edita sint, justo majore studio et admiratione hærendum, sed ea ad exemplar ipsius Christi, tanquam remedia olim necessaria, ut summum Dei homines ad felicitatem æternam educantis consilium juvarent, esse spectanda. Ut igitur hortulanus arborem teneram, quam plantavit, fulcit et externis adminiculis sustinet, donec, arbore radice et truncu satis firmata, fulcra tolli possint, sic Deus veritates

salutares, ad quas capiendas homines certorum temporum satis præparati non erant, miraculis inculcare dignatus est; veritatibus vero ipsis tempore progradienti perspectis atque per se admisis, miracula evanuere.

III.

De nexu inter systema dogmatum
et disciplinā morum.

12.

Homines futuros esse beatos, summum creatoris esse consilium, non ex frequentibus solum sacræ scripturæ dictis, sed e notione propria numinis sapienter et benigne providi, satis superque patet. Qvum vero cuiusvis hominis animo studium felicitatis et beatitudinis innatum sit, homines vero longe diversa ratione et per contrarias vias ad fastigium felicitatis tendant atque festinent, necesse judicavit summa providentia certas leges hominibus dari, qvarum qvædam non scriptæ sed natæ essent, qvædam vero ad illas illustrandas et confirmandas, propter naturæ humanæ imbecillitatem, a parte externa accederent.

His ut satis esset auctoritatis, ad certas qvasdam doctrinas positivas adplicabantur, qvarum forma qvatenus de Deo, in luce, qvæ adiri neqvit, habitante, agerent, obscurior et finit. humanæ indolis captui magna ex parte superior non potuit non evadere.

13.

Si ergo talis inter doctrinam dogmatum et disciplinam morum intercedit ratio et nexus, ut morum disciplina, qvæ tam in orationibus et dictis Christi qvam in sententiis Apostolorum aperte contineatur, summus sit religionis tam revelatæ qvam naturalis scopus et finis, doctrina vero dogmatum modo per ambages, ut et Christus et Apostoli testantur, homines ad Deum ejusqe in genus humanum beandum opera collata cognoscenda conducat; ad pie, recte et beate vivendum qvid reqviritur, nisi hoc, ut præcepta moralia prorsus capere et pie, pro virili, observare studeat homo et conetur, dogmata vero, pro facultate sibi data, pio et modesto animo voluat, consideret et perscrutetur, eadem autem, qvatenus a se perspici non queant, neqve absolute negando qvod forsitan verum,

neque temere affirmando quod forsitan minus verum esset, in futurum, ubi, Christo et Apostolis auctoribus, quae hic obscura sunt illustrabuntur, differat.

IV.

De ratione impropriæ loquendi
in sacro codice obvia.

14.

Sermo, qui tranquillam animi conditionem exprimit, plerumque planus est et quietus, mentisque æquæ colorem simpliciter referens. Cum vero una aliave affectio animum gravius tetigerit, turbidior sermo evadat, necesse est. Hinc formulæ ille loquendi, quas hyperboleas vocare solemus, ortæ sunt. Poeta, ut quæ animo finxisset, verbis eandem affectionem in audientium mente moventibus exprimere posset, ad nova et efficaciora rerum nomina fingenda et ad graviores cogitatorum exponendorum formulas inveniendas cogebatur. Qui gaudio plenus aut ira incensus erat, verbis et locutionibus solitis non contentus lingvam ita instruere cona-

batur, ut menti non desseet.^{23/} Pius ardensqve
Dei cultqr, qvæ ipse sentiebat omnibus verbis
superiora, verborum tamen ope aliis impertire
gestiebat; et sic verba majora paulatim orieban-
tur, qvæ rursus, gravitatis et effectus causa,
ad minora exprimenda in usum interdum con-
vertebantur, quo factum est, ut homines talibus
loqvendi rationibus formulisqve sensim sensim-
qve adsverfierent.

15.

Ad hanc universalem hyperbolarum cau-
sam alia accedit, si gens aliquæ, aut propter sin-
gularem cœli soli natalis temperiem, aut e ratio-
nibus civilibus, domesticis et religiosis, vivaci-
ore qvodam ingenii tenore ad imagines in ser-
mone adhibendas induceretur, id qvod apud
orientales, vividius sentientes, usu venit. Hinc
præter hyperbolas in genere auctas etiam alle-
goricam loqvendi rationem in specie ortam
esse, statui potest.

16.

Cum præterea, propter præsagitionem
animæ humanæ natura inditam, et divini qvid

esse, et animam humanam corpore soluto non omnino esse interituram, porro relationem aliquam licet obscuram inter illud divinum et animam humanam intercedere, clarius aut obscurius omnes fere homines quasi divinaverint, et cum haec divinata animum non possent non vehementer occupare mentemque placide mulcere, e notione legum, quas in agendo servat anima, sequitur etiam has ideas humana mente conceptas verbis indigere, quibus involvi possent et tradi, nec non ritibus, quibus coram oculis quodammodo sisterentur, gaudere. Hinc loquendi et agendi ratio, quae mystica vocatur, nata est, et apud veteres tam idolorum quam veri Dei cultores magis minusve invaluit. Quantum autem res mysticæ ad sensum hominum adliendum animumque occupandum valeat, haud difficile erit visu considerantibus rem in genere sacro quodam et obscuro in volucre abditam et opertam homines longe attentiores et noscendi cupidioris, insuper etiam cautiores, tenere, quam rem plane apertam et cum oculis et sensibus pateat, haud raro sordentem. Haec re vera ita esse, honor quoque qui iis etiam ab antiquis habitus est, qui arcanorum periti visi sunt, nonnulla ex parte testatur.

17.

His ita præmissis per se patebit, doctrinam a Deo hominibus datam necessitati eorum adeo accommodatam et inservientem non esse non posse, si illud, qvod antea § 2, c., statuimus, indicium operis Deo auctore digni præ se ferret, ut tam hyperbolicam, quam allegoricam et mysticam loqvendi rationem contineret; qvibus concessis, improprias dicendi formulas in sacro codice freqventer obvias adeo non improbamus, ut multo magis eas reverentia, qvæ rei ipsi et auctori debetur, amplectamur. Vis illa enim et effectus dictionum sacrarum moralium, hyperbolica dicendi ratione sublata, multis in locis idem non mansisset; multa monita, eademqve saluberrima, nisi allegoria accessisset, maximum stimuli desiderassent; mysticis deniqve loqvendi formulis remotis, omnis ratio et conditio idealium sublimarum maxime et sanctarum expondarum evanuisset.

18.

Qvomodo autem tam homini religionis amanti in genere, quam in specie præceptoris religionis, si cum talibus auditoribus ei res sit,

qvos in nudis litteris, nullo adhibito rationis usu, adqviescere nec juvet nec deceat, in doctrina sacrorum librorum tractanda versandum sit, ut in se et inaudientibus sensum auctoritatis doctrinæ divinitus promulgatae augeat et foveat, hoc qvidem magnum illud est problema, ad qvod solvendum nemo, ut ad nodum Gordium, qvod scindi, si non solvi, possit, securus se accinxerit. Si vero mente pia rem adgressus fuerit, si ratione sana et sobria duce et comite usus, regulis hermeneutices universalibus nunquam neglectis, hyperbolas modeste discusserit, allegorias involucro, quantum fieri possit, leni et timida manu exuerit, mysteriorum vim practicam, aliis sacri codicis aperte dictis illustrantibus, extricaverit; vix erit qvod timeat, se consiliis Dei et Christi contraria esse molitum.

C o n c l u s i o .

Ut honor suus et fides sacri codicis dictis semper constet, id religionis doctor pie, sedulo et

attente curet, necesse est; illo enim honore sublatō, hac fide læsa, nulla Christianis superest regula, nulla norma credendi. Sed ad hunc honorem tuendum, ad fidem hanc et auctoritatem servandam, nihil antiquius habendum videtur, qvam ut qvæ in sacra scriptura occurrant obscuriora, clarioribus semper illustrentur, et in toto suo nexo cum conditione temporum, locorum, hominum et rerum considerate spectentur et intelligantur. Qvod nisi fiat, periculum est, ne sensus falsus et arbitrarius dictis sacris imputetur et supponatur, qvo inde fit ut sententiæ, qvas litteræ sacræ minime tueruntur, pro vere sacris vendantur, qvo nihil auctoritati librorum sacrorum majori esse potest detimento. Errant omnino, ut ex ante allatis similibusqve rationibus patebit, qvi omnia in sacro codice verba ad vivu[m] resecanda statuant et contendant, litterarumqve sacrorum dictorum interpretationem ultra justos limites tendere atqve defendere conentur. Doctrina enim divinitus data ut fidem hominum moderetur, tali docendi ratione et methodo non po-

test non uti, qva et imaginibus allatis veritates ad mores vitæque degendæ rationem pertinentes inculcet, et qvæ ingenium et capiendi facultatem hominum superent, adeo tradat, ut luce, qvantam homo ferre queat, appareant, cæterum autem sacra qvddam umbra involvantur, ad qvam omnino discutiendam animus humanus se frustra tendere intelligat, semper tamen et nunquam defatigatus aut tædio affectus tendat. Talis itaqve doctrina digna censenda est qvæ *γραΦη Θεοπνευστος* habeatur, spiritui enim divino, qvatenus notionem ejus homo sibi fingere potest perfectissimam, non potest non esse consentanea, et ut filius ad maturorem ætatem progressus institutionem sibi puero datam, licet veritatem per imagines et ambages interdum exhibentem, opus providæ patris curæ grata utique mente recordatur atqve amplectitur, sic et nos ab doctrinam, qvæ ad vitam pie et probe degendam pertinet, simplicem planam et aper tam, ad altiora autem ita institutam, ut, dum verum ipsum capere non possumus, umbra veritatis foti et recreati, imagine veri ita conti-

neamur et conducamur, ne plane in tenebras et errores abeamus, insignem Dei auctoris sapientiam maximis laudibus efferre possumus atque debemus.

Hæc, qvaliacunqve demum sunt, si junioribus Christianismi cultoribus ita fere tradantur, et ab iis capiantur; si singula dogmata illustranda et in usum vitæ convertenda ad hæc et his similia principia referantur, exspectandum est, juventuti religionis cognitionem ita instillari, ut collaborandi facultate sponte adhibita, doctrinam traditam concoqvat et sibi propriam reddat, qvo fit, ut disceptationibus de capitibus sacris non offendatur, fundamenta fidei suæ religiosæ concussum iri non timeat, aliter sentientes placide audire et monere qvam intolerantia perseqvi malit, patiatur deniqve, si qvis arborem cognitionis sacram nulla vetustate effoetam diversa paullo oculorum acie spectet, ejusqve fructus lætos semper et salutiferos in usum suum et nutrimentum diversa paullo ratione convertat.

Hoc opusculo absoluto, restat, ut lectores certiores faciamus solennitatem in schola nostra esse futuram, quam Vir Amplissimus et Summe Venerandus Doctor et Professor Theologiae Fridericus Münter, Seelandiae et Ordinum Regiorum Eqvestrium Episcopus, Eqves magna Ordinis Dannebrogici cruce nec non ejusdem Ordinis cruce argentea ornatus, indixit, ut die VIImo mensis Septembris hora a. m. Xma Rectorem scholæ Serenissimi Regis gratia nuper designatum J. C. Qvistgaard*) inauguret et muneri ei mandato praefectum publice declareret. Vos, quod estis harum paginarum Lectores, omnes litterarum et iuventutis instruendæ amantes, piis verbis et juventu tem et iuventutis magistros et præceptores amplius etiamini, modeste rogamus.

*) Japetus Christie. rni Qvistgaard natus est A. 1781 in pago, quem vocant Vesterlybye provinciæ Salling dioecese os Wiburgensis. Tertium annum agens patre orbatus in domo materna rusticæ et quidem pauperrima ad annum ætatis decimum substititus, e quo inde tempore inter alienos versatus est. A primis inde annis opere pastoritio et negotiis rusticis ei ætati propriis quodam matu et propensione

ad legendum et discendum ferebatur, qvo factum est, ut anno ætatis 14to jam proiectior inter discipulos scholæ ruralis, qvam freqventavit, declaratus ad alios pueros prima legendi er scribendi rudimenta deponentes edocendos admitteretur. Hoc negotio, cum omnibus insuper artibus rusticis et ad terram propriæ manu collendam pertinentibus, continuato, hujus indies ortum est artes liberaliores cognoscendi et collendi desiderium, cui tamen partim ob paupertatem partim ob conditionem rusticam nihil omnino spei adfulsit. Ne vero studia illa exigua qvibus, quantum fieri potuit, vacabat, prorsus omittere demum cogeretur, rebus scholasticis, qvæ rure aguntur, præcipue se tradidit, eo consilio, ut scholæ rurali aliquando forte præficeretur; id qvod eximia benevolentia Viri summe venerandi P. J. Tetenus, Episcopi piæ reverendæque memoriae olim Viburgensis, effectum est, a qvo ædituus ad ædem sacram apud Schœvienses et præceptor juventutis ruralis ejusdem parochiæ constitutus est. Ex eo inde tempore — sic fuit in fatis — nova litterarum studio, annos unum et vigenti jam nativo, orta est, cum antistes sacrorum apud Schœvienses, Janus Höyer Leth, vir memoriae gratissima mente ad cineres usqve colendæ inter juvenes a se artibus liberalioribus instruendis, A. 1802, discendi cupidum receperit, qvo duce et præceptore usus primos adeo progressus in artibus fecit, ut A. 1806 ad academiam Havniensem tendere ansus sit, ubi plurium doctorum philo sophiæ et philologiæ semper reverendorum institutione per semestre fulitus et præparatus mense Aprili 1807, cum tentamen in philologicis et philosophicis, adjectis qvoqve qvæ pro Examine artium respiciebantur, sustinuisse set, eximia cum laude ad studium S. S. theologiæ capessendum admittebat. Tribus fere dehinc

annis in academia peractis, qvo tempore ad vitam sustentandam necessaria, puerorum institutione, haud parvo negotio sibi comparare co-
gebatur, A. 1810 ab Examine Theologico cum laude egregia decessit.

Absoluto cursu academico, usus ille alios insituendi per multorum annorum seriem contractus, effecit ut in arena scholastica, ceteris omis-
sis, versari sibi optatissimum duxerit; et qvod ad id consequendum modeste desideravit et petiit,
~~id summa Regiae maiestatis gratia, Collegio Regio,~~ qvod res nostras scholasticas moderatur, adnuente, effectum est, cum
jam A. 1811 collega Scholæ cathedræ Arhusiensis,
et 1819 collega primarius Scholæ Slaglosianæ sit
constitutus, et denique, qvod felix faustumque
sit! d. VI Julii h. A. decreto Regio Rector Scholæ
Slaglosianæ designatus.

Den offentlige Examens

i

Slagelse lærde Skole

for Xaret 1826

foretages i følgende Orden:

Løverdag den 16de September.

Kl. 9 — 1. Samtlige Klasser Latinisk Stiil.
— 3 — 6. — — — Dansk Udarbeidelse.

Mandag den 18de September.

Kl. 9 — 12. IV Kl. Latin.
— 3 — 6. — — Historie og Geographie.

Tirsdag den 19de September.

Kl. 9 — 12. IV Kl. Græsk.
— 3 — 6. — — Arithm. og Geometrie.

Onsdag den 20de September.

Kl. 9 — 10 $\frac{1}{2}$. IV Kl. Fransk.
— 10 $\frac{1}{2}$ — 12. — — Lydsk.
— 3 — 5. I — Arithm. og Geometrie.
— 3 — 5. IV og III Kl. Arithmetisk og Geometrisk Udarbeidelse.

Torsdag den 21de September.

- Kl. 9 — 10½. IV Kl. Dansk.
— 10½ — 1. — — Hebraisk.
— 3 — 4. — — Latinſk Grammatik.
— 4 — 6. — — Religion.

Fredag den 22de September.

- Kl. 9 — II. I Kl. Latin.
— II — 1. I — Historie og Geographie.
— 3 — 5. II — Religion.
— 5 — 6. — — Dansk.

Lørdag den 23de September.

- Kl. 9 — II. III Kl. Latin (Curtius)
— II — 1. — — Latin (Ovid)
— 3 — 4½. II — Fransk.
— 4½ — 6. — — Engelsk.

Mandag den 25de September.

- Kl. 9 — 10½. I Kl. Religion.
— 10½ — 12. — — Dansk.
— 3 — 5. III — Engelsk.
— 5 — 6. — — Latinſk Gram.

Tirsdag den 26de September.

- Kl. 9 — II. II Kl. Historie og Geographie.
— II — 1. — — Græsk.
— 3 — 6. III — Arithm. og Geometrie.

Onsdag den 27de September.

Kl. 9 — 12. III Kl. Græsk.
— 3 — 5. II — Latin.
— 5 — 6. — — Latinisk Gram.

Torsdag den 28de September.

Kl. 9 — 11. III Kl. Fransk.
— 11 — 1. — — Religion.
— 3 — 6. II — Arithm. og Geometrie.

Fredag den 29de September.

Kl. 9 — 12. III Kl. Historie og Geographie.
— 3 — 5. — — Dansk.
— 5 — 6. — — Hebraisk.

Løverdag den 30te Septbr. afholdes Censuren.

Tirsdagen den 3die October prøves de til Op>tagelse i Skolen anmeldte Disciple.

Onsdagen den 4de October foretages Translocation, hvorpaa Underviisningen samme Dag tager sin Begyndelse.

Til at overvære denne Examen inddbydes her ved Disciplenes ærede Forældre og Værger, samt enhver Under af den lærde Skoleunderviisning; og ønskes at Disse, saa ofte deres Lejlighed maatte tillade det, vilde hædre og opmunstre Skolen ved deres Nærværelse.

Efter Examen agtes følgende af Skolens Disciple dimitterede til Universitetet:

1. Henrik Frederik Lindberg, Søn af Hr. Told- og Konsumtions-Kasserer, Kapitain v. Lindberg i Slagelse.
2. Adam Vilhelm Henrichsen, Søn af Hr. Trækteur Henrichsen i Antvorskov Lyngskov.
3. Peter Christian Hansen, Søn af Hr. Møller Hansen i Frydendahls Mølle ved Holbæk.

Slagelse den 31te August 1826.

Qvistgaard.